

Anica Olip:

PAVOR

Intueri me cave sic, amabo,
Nam dolore uror; mare tu larosque
Ac polum spectes; ut ego recedam,
Vertito vultum!

AD IUVENEM

Quandoque ego de te recordor, o care,
Tum florulentum cogito novum florem,
Recentem amorem cogito usque tam mollem,
Quem mundus enecaverat ferus suavem.

Quandoque tu de me quidem recordaris,
Ferventis aestus cogitas acres flammas,
Orbem parumper qui poli cavi accendit
Aestusque hic amplius revertitur numquam.

COGITATA MEA

Possident mea cogitata magnas
Alas atque alacres magis nive albas;
Sic volant procul in beatitatem,
Apricas adeunt plagas remotas,
Illuc ipsum, ubi non adest simultas,
Nec non sunt oculi quidem sereni,
Nocte ut solstitio est polus refulgens.

AD TE VENIRE CUPIO

Per deserta vagans meat viator,
Defessus coquitur calore saevo;
Corpus ire negat siti premente,
In locum cupit herbidum venire.

Immitis pelago furit procella;
Navis ludibrium est atrocis aestus.
Instat nunc ab aquis ruina nautae.
O, servans ubi portus es quietus?

Ut locum cupit herbidum viator,
Qui deserta vagans peragrat ampla,
Sic ad te cupio venire ego usque.

Navem, quam regit in fera procella
Dux, portum placidum cupit subire.
Tu portus meus esto, virgo mitis!

Ljubljana.

Vertit: S. Kopriva.